



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XXXV. Hiltbrandus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

habitus, & omni die Magnatibus terra & superuenientibus ostensus est, donec III. Idus Octobris in Monasterio sarcophagatus, (sepultus) est. Quare etiam ad XIII. diem Octobris hæc adscribuntur. S. Willibaldus anno M. CC. LV I. in Monasterio sarcophagatus est; & quidem in medio Monasterij, vt habet Relatio de Translatione S. Willibaldi. Per Monasterium autem intelligitur templum cathedrale seu primarium. Nam quæ nunc cathedrales Ecclesiæ dicuntur, olim Monasteria vocabantur. Hinc Germanis Münster, vt iam alibi diximus.

XXXIV. Engelhardus.

Est Engelhardus rectis celer, ad mala tardus.

Hic Chorū S. Villibaldi construere aggressus est, in honorē eiusdem S. Willibaldi, sed non compleuit, quia solum sedit in Episcopatu per duos annos, vt ait Relatio de Translatione S. Willibaldi; subscriptio imaginis addit: Minus vno mense. Mortuus in Concilio Moguntino, anno Virginiei partus M. CC. LX I. cui Synodo præfedit Wernerus Archiepiscopus Moguntinus. Vide Serarium, lib. I. Mogunt. rerum cap. 33.

XXXV. Hiltbrandus.

Cunctis Hiltbrandus gratus fuit & venerandus.

Fuit de Mern, libera conditionis, inquit M. S. Codex, qui chorum occidentalem seu S. Villibaldi compleuit, & in eo duos Capellanos instituit. & completo eodem choro, S. Villibaldum III. Idus Octobris transtulit, magna cum solennitate, & in supremo altaris maioris eiusdem chori, S. Villibaldum inclusit, & chorū S. Villibaldi ordinavit in perpetuum nominari, ubi diuina clementia per ipsum multa quotidie miracula operatur. Vide Philippum in S. Willibaldi vita. Inter-

fuit

fuit iste Præsul Comitii Augustæ Vindelicorū sub Rudolpho I. Imp. celebratis anno gratiæ M. CC. LXXV. Sedit annis XVIII. Mortuus in profesto Annunciationis B. Virginis, anno M. CC. LXXIX. sepultus in medio choro S. Willibaldi, vt inquit Bruschanus Catalogus.

XXXVI. Reymboto.

Rimboto flos Cleri, decus orbis, regula veri.

Sedit annos XVIII. Obiit anno M. CC. XCVII. VI. Kal. Septembris, vt præter M. S. Codicem testantur. Stero & Henricus Rebdorffensis in Annalibus. Fuit ex nobili familia de Mühlenhart, corporis staturâ eximiâ, & aspectu adeo grato, vt aspicientes in suam admirationem primo statim intuitu raperet. Scientiæ liberalioris non expers; *instus in opere, verax in sermone, constans in mente, deuotus in oratione, modestus in verbis, morosus in factis, castus in corpore, sincerus in corde, in dispensatione prouidus, in conuersatione maturus, liberalis, hilaris, hospitalis, affabilis, tractabilis, tutor pudicitie, & incontinentia persecutor. Humilitatem seruans in prosperis, & patientiam in aduersis. Per has igitur, & alias, quas habuit virtutes, dum à Deo diligeretur & hominibus, per Ecclesiam & diæcesim suam Ecclesiasticam ampliauit honorem & vitam, & conuersationem subditorum in melius reformauit. Præterea gloriosus ille Pontifex nō solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, commissam sibi Ecclesiam salubriter gubernauit. Nam inter notas probi probatiq; Episcopi postrema non est, vt rei œconomicæ siue familiaris curam curæ cordique habeat.*

Interfuit Reimboto comitiis à Rudolpho Habsburgico Erphordiæ celebratis anno M. CC. XC. vt
conti-